Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2127
Quelle:
Copyright:

per totum annum. Codicem pulcherrimum in *Italia* ſcriptum cum e penicilli gratia, tum e *Calendario* colligo, ubi menſis *Madius* pro *Majo.* At quando? In Litaniis OO. SS. *fol.* 93. p. 2. oratur pro *Papa Benedicto*, quo nomine toto illo temporis ſpatio nemo fuit, niſi *Petrus de Luna* Antipapa; is vero jam a. 1424. diem obiit, et ſive Scripturae, ſive Picturae indoles Seculum provectius loquitur. Itaque cenſeo, Librarium plus manu, quam judicio valentem e vetuſtiore Codice omnia κατα λεξιν deſcripſiſſe.

DCCCLXXXIII.

R. 44 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. nunc 526. 4. min. per duas columnas nitidiſſime exaratus, auroque et coloribus ſpecioſus ſacrum Chori Officium, vulgo *Breviarium*, continet, et quidem in uſum Familiae *Benedictinae*, nam *fol.* 376. legas: *In feſto ſanctiſſimi patris noſtri benedicti.* item *fol.* 342. in Litaniis OO. SS. *Sancte pater benedicte*, et in iisdem *fol.* 343. oratur pro *Praeſidente*, videlicet Congregationis alicujus, et *fol.* 236. p. 2. memorantur *Feſta particularia monaſteriorum noſtre congregationis*, et cum ibi, tum in *Calendario* praevio Feſtum S. *Juſtinae* minio ſcribitur, ut adeo Congregationem *Patavinam* tenere videamur, concludique poſſit, Codicem iſtum cum aliis e *Neapolitano* S. *Severini* Coenobio ad nos delatum fuiſſe. Quod ſi vel ipſum Coenobium noſſe cupias, pro quo ſcriptus fuit, S. *Inuentius* ſ. *Juventius* ad diem 8. *Febr.* et *Translatio S. Syri* ad 17. *Maji Papiam* te deducent. Continet ille primum Officium *de Tempore*, dein *de Sanctis* ſpeciatim et in communi, demum pro fidelibus *Defunctis.* Verum ante *fol.* 246. et 346. Folia quaedam excidere.

DCCCLXXXIV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 2159 XV. Folior. 170. f. max. charactere praegrandi eleganter exaratus, coloribus diſtinctus, pluribusque Iconiſmis et marginum ornamentis auro fulgidis et ſcite picturatis ſpecioſus *Pſalmodiam Chori* a *Paſchate* ad *Adventum* primum de *Tempore*, dein de *Sanctis* Notis muſicis illigatam exhibet, et quidem in uſum *Carthuſianorum*; *fol.* enim 43. p. 2. Servator ipſe Fratri hujus ordinis ſacram Hoſtiam porrigit, et *fol.* 123. p. 2. Frater ejusmodi ad aras facienti Sacerdoti miniſtrat. Itaque Codicem Carthuſiae *S. Trinitatis ad Brunnam Morav.* fuiſſe cenſeo. Memorari merentur et aliae quaedam Picturae. Ita *fol.* 1. p. 2. Anaſtaſi Dominicae adduntur in margine Piſcis *Jonam* reddens, *Samſon* leonem jugulans, et Mel e faucibus leonis progreſſum. Ad Iconem *fol.* 43. p. 2. ſupra adductam dormit in lemniſco *Elias* obvolitante ei pane ſubcinericio. *Fol.* 58. p. 2. ſcire velim, quid portendat Imperator *Caroli M.* habitu d. ſceptrum, ſ. pomum Imperii